



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

90. Si non potes mederi rebus, medere tibi ipsi mitigando sensum aut contemptu illius, unde ortus est, aut advertentiâ incommodi, quod post se trahit pœnitudo rei jam non reparandæ. Quòd si & damnum irreparabile sit, cave nè id eveniat tibi. Potest ab alio casus inferri, cui remedium non sit: ut mederi nequeas passioni tuæ, nemo nisi tu ipse causa veris.

DECAS X.

91. Vitium iracundiæ sibi ipsi adversatur: tollit enim Rationem, ubi Ratione maxime opus est. Quo enim casu requiri magis iudicium putes, quàm ubi vel amentia liberandus es, vel periculo immani? quæ autem dementia major, quàm ut ulciscaris te de alio, periclitari de vita tua? Vulnerus tuum non claudis, si aperias sæviori ictu alterius latus. Damnum, quod putas tuum, non sarcit vindicta alieno.

92. Si appetendo vindictam nihil egisti, quid superest nisi rancor, & dolor? Præbuiisti enim nova arma hosti tuo? id est: ansam se vindicandi; atque adeò idem erit supplicium, & vindicta; dùmque ultionem infers, ultionem pateris.

F3 101 bel 21909a n. 93.

93. Premeris egestate? sed indè securus es: hoc opulentis evenire non solet. Suf-
ficeret alterutrum; at tu meliori loco es
quia pejus videtur periclitari de vita,
quàm in modico molestari.

94. Noli illud ambire, quod cùm obti-
nueris, æquivalet amisso. Aurum simile
est noxio humori, qui si non consumatur
consumit. Deo suo infidelis est, qui de eo
quod superabundat, non dispergit in illos
qui necessariis carent. Data sunt à Deo,
ut darentur.

95. Quæ dementia! ut nemini subje-
ctus sis, te mancipium fieri nummorum.
Si subjici oportet, minoris certè infamie
erit, subjici homini, quàm metallo.

96. Ambitiosus, ut imperet hominibus,
subdit se vitiis, & passionibus obedit. Qui
causam suam credit fortunæ, malum eli-
git Advocatum. Meliorem fidem tibi Vir-
tus præstiterit: cùm ea non curabis, quid
fors attulerit; satès erit, si imperes tibi.

97. Ab ira Fortunæ tuta mediocritas est,
usualem illam reddit, & sistit. In magnis
censibus multa superflua sunt, omnia su-
specta. Præstat non periclitari, quàm a-
bundare

bundare. Tametsi in quosdam prodiga sit fortuna, nemini tamen, qui plus cupit, quàm egeat, datura est satis.

98. Non indè te æstimes, quòd vilipensionem aliquam tuleris moderatè: non plus virtutis habet patientia tua, quàm cupiditas ambitiosi, devorantis mille contumelias, ut potiatur optatis. An gloriaris virtutem tuam similem esse alterius vitio? quanti est, si sufferas pro bonis æternis, quod tot alii tolerant pro caducis?

99. Melius est non affligi, quàm solatiũ accipere. Quæ in mundo universo voluptas? quod gaudium tale, quo vel unicus capiti tuo canus auferatur? At molestia non gravior te facit una senem. Prudentis est, servare sese casibus, in eventus instructum esse, absque ambage solatiorum placidè quiescere, & optatissimâ pace gaudere.

100. Calamitas querula est, felicitas superbit, Nulla est conditio, quam non infestet vitium aliquod, nisi ubi virtus dominatur. Qui sistens in medio extremorum damna sapienter evitat, qui adversis non dejicitur, nec prosperis elavatur, hic adipiscendæ virtuti proximus est.